



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 4. Bavari Protestantium Sectam profitendi facultatem petentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

hil impetrent, fore ajunt, ut illa **Sæcul. XVI.**  
de ferendis auxiliis deliberatio plane  
tardetur, & impediatur: quod nullum  
ipsi mandatum habeant, ut aliquid in  
eo promittant, nisi de religione ipsis,  
& Ecclesiæ ministris, ac Ludimagistris  
idonee prius caveatur, ac libera fiat  
docendi potestas. Quapropter hic Or-  
dinum conventus re infecta solvebatur.

**A.C. 1556.****§. IV.****Bavarii Protestantium Sedam profi-  
tendi facultatem petentes.**

Solutis hisce comitiis Ferdinandus Rex  
in Bohemiam contendit, ubi Pro-  
vinciarum Legatis Pragam convocatis  
auxilia pro Turcico bello petebat, qui  
etiam pecuniarum subsidia ab eis im-  
petrabat: cum autem pro parandis ad bel-  
lum necessariis prompte Viennam red-  
eundi necessitas urgeret, hinc Imperii  
comitia prima Junii die celebranda in-  
dixit. Hæc dum interea gerebantur,  
Bavari idem, quod Austriaci a Ferdi-  
nando petebant, ab Alberto quoque  
suo Duce extorquere nitebantur: Alber-  
tus igitur, cum pecuniis egeret, haud  
difficilem se eorum postulatis exhibuit,  
sed post lèves quasdam sollicitationes  
suis ad tempus indulxit, ut cœnam Do-  
mini sub utraque specie sumere, ac die-  
bus

Sæcul. XVI  
A. C. 1556.

bus vetitis urgente necessitate carnibus vesci possent, nec minus, quantum posset, se curaturum spopondit, ut Episcopus Salisburgensis hanc concessiōnem approbet, eamque Magistratus confirmet: cum vero hac sua indulgentia facile in suspicionem trahi posset, perinde acsi a Religionē Catholica deficere paratus esset, hinc multis verbis profitebatur, quod nullatenus a Majorum suorum Religionē discedere, nec in cœremoniis, aliisque ritibus quicquam immutare velit, cum neque id sibi licitum foret, nisi supremus Magistratus Ecclesiasticus id ipsum permitteret. Istud diploma, quo hæc indulserat, fideique suæ constantiam erat professus, die ultima Martii promulgabatur.

§. V.

*Papa hisce mutationibus in Religionē attentatis irritatus.*

*Sleidan  
comm. l. c.  
Thuan. l. 17.  
Pallav. l. 13.  
c. 14. n. 1.*

Eodem Mense Albertus Porussiæ Dux a Megalopolitano Duce Genero suo seductus edito diplomate, quod Confessionem Augustanam profiteretur, declarabat, suisque Ministris præcipiebat, ut doctrinam in ea contentam in vulgo spargerent. Hic idem quoque Megalopolitanus Dux Joannem Funckium, qui antea Osiandri erroribus adhæserat, eo induxit, ut palam hosce detestare-